



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Quæstio II. An Testamentum Philippi, adhibitis duobus tantùm testibus  
conditum, subsistat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

scandalo aut avaritiæ nota omnia relinquunt consanguineis neglectâ Ecclesiâ admodum indigente, aut pauperibus in magna egestate constitutis; tunc enim per accidens peccato non careret ejusmodi testamentum, quo omnia ad causas profanas relinquuntur, & ideo maledictionis Divinæ causa esse potest, aut etiam gravium Clerici defuncti præ-

narum: id quod insinuare videntur citatæ Constitutiones Synodi Constantiensis. Fundatores, ut ut optent, concessos Clericis à se relictos superfluos pie expendi, non tamen constat, quòd ad id obligaverint Beneficiatos per patetum tacitum.

## QUÆSTIO II.

### *An Testamentum Philippi, adhibitis duobus tantum testibus conditum, subsistat?*

**H**æc quæstio non procedit in illis diœcesibus, in quibus vel per statutum particulare, vel per consuetudinem localem, introductus & Clericis præscriptus est certus modus faciendi Testamentum; alicubi enim nullus testis vel alia solennitas ad valorem testamenti Clericorum ex hujusmodi Jure particulari requiritur, quàm prævia licentia Ordinarij in scriptis obventa, vel inscriptio testari volentis in certum librum cum permissione Ordinarij &c. modò interim constet de voluntate, v. g. ex manu sigillum apponentis, vel alio modo.

Igitur quæstio solum procedit de illis diœcesibus, in quibus à Jure Communi per speciale statutum aut consuetudinem non est recessum, atque in eo consistit, an Clerici testantes debeant observare Jus Romanum Civile 7. testium, an verò Jus Canonicum 2. testium solennitatem (alii hos duos testes solum ad probationem requirunt) exigens ad factiorem testamenti.

Layman lib. 1. tit. 4. c. 13. n. 1. Theol. Mor. Glettle, P. VViestner &c. existimant, ad valorem testamenti Clericorum ad causas profanas testantium necessariam esse solennitatem



tem 7. testium à Jure Civili præscriptam, nisi aliud habeat consuetudo diæcesis. Rationem dant; quia Clerici sunt cives & membra Reipublicæ Politicæ; ergo conformare se debent legibus Reipublicæ politicæ, statui Ecclesiastico non repugnantibus, & causam merè profanam spectantibus, sicut in contractibus, ita & in testamentis profanis.

At ego cum Panormit. Engel, & aliis e diametro teneo contrarium, videlicet ad testamenta Clericorum, etiam profana, sufficere duos testes, ubi aliud consuetudine non est introductum. Ratio mea, quam omnino solidam & efficacem esse censeo, fundatur in illo recepto inter Juristas brocardico, & communi inter DD. regula, ex *can. 6. d. 98. c. 13. v. tria. qui fil. sim legitimi. defumpta*, quæ sic habet: Quando Jus Cononicum & Civile inter se discrepant circa rem profanam, & per se non peccaminosam, quodlibet Jus est observandum in suo foro, Cononicum in foro Cononico, Civile in foro Civili, quia in materia profana, peccatum non concernente, nec Potestas secularis Ecclesiicæ, nec Ecclesiastica Sæculari Potestati subiecta est.

Atqui circa ordinationem testamentorum, quæ est res profana peccatum non concernens, discrepant inter se Jus Cononicum & Civile; nam Jus Civile 7. testes exigit, Jus Cononicum solummodo duos vel tres. *c. cum esset. 10. de testam.* ergo Jus Cononicum circa ordinationem testamentorum in foro Cononico. Jus verò Civile in Civili observandum est. Sed (ulteriùs subsumo) Clerici, etiam testamentum condentes, pertinent ad forum Cononicum indubitè, utpote personæ Ecclesiasticæ, & ratione personarum suarum à sæcularium Legislatorum ac Judicum jurisdictione exemptæ: ergo à Clericis testamenta condentibus observandum est Jus Cononicum, duos tantum vel tres testes exigens ad factiorem testamenti.

Ratio Adversariorum facili negotio enervatur distinguendo *Consequens*: ergo Clerici conformare se tenentur legibus Reipublicæ politicæ, nisi Jus Cononicum, ad cujus forum ipsi pertinent, aliter disponat circa ordinationem testamentorum, & pauciores testes statuat. *C. Conf. si aliter disponat, & paucioribus testibus, uti revera est, contentum sit. N. Conf.*

